



**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 3. Vtrùm peccata sic debeant in confeßione explicari, ut
Confessarius percipiat, post ultimam confeßionem fuisse commissas?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

QVÆSTIO III.

Utrum peccata sic debeant in confessione explicari, ut confessarius percipiat post ultimam confessionem fuisse commissam?

1. **C**ausa frequens, & curiosus est. Vult pœnitens, quod confessarius non intelligat certum quoddam peccatum post ultimam confessionem fuisse commissum; poterit ne ita illud explicare, ut confessarius id non percipiat, sed potius sibi suadeat, fuisse jam ab illo in altera confessione absolutum? Hoc in præfati inquirimus.

S. PRIMUS.

Negative sententiae Authores, & fundamenta.

1. **P**rima sententia tenet, pœnitentem non habere obligationem ita explicandi suum peccatum, ut confessarius percipiat, fuisse post ultimam confessionem commissum, seu non fuisse in alia ab illo absolutum, sed tantum ad integre confitendum commodo, quo omnem peccati malitiam specificam manifestet, etsi confessarius decipiat, censens in alia confessione, fuisse ab illo absolutum; sic docent B. n. c. diff. 5. de Sacram. quæst. 5. sect. 2. puncto 2. §. 3. diff. 4. num. 5. Diana 3. p. tract. 4. resol. 162. & 4. p. tract. 3. resol. 65. & apud illum Bülsebaum, Longus, Palquihus, Martinus de S. Joseph, P. Amicus, & alii, quos citatos sequitur p. 11. tr. 6. Miss. resol. 22. & tenent R. P. Christophorus Delgadillo tom. de Pœnit. cap. 17. dub. 42. Verricelli tom. 1. tract. 5. quæst. 5. num. 20. Homobonus in consultat. casuum, volum. 2. p. 5. resp. 131. Leander tract. 5. de Pœnit. diff. 5. quæst. 23. Cardin. de Lugo diff. 16. sect. 2. num. 47. Tamb. in Method. expeditæ confes. lib. 2. cap. 1. Dicastillo tom. de Pœnit. diff. 9. dub. 2. §. 6. à num. 144. & dub. 7. num. 294. & alii. Citantur etiam ab his auctoribus pro hac parte, Pater Thom. Sanchez in sum. lib. 3. cap. 10. nu. 71. Pater Suarez diff. 22. de Pœnit. sect. 9. & P. Coninch diff. 17. dub. 8. num. 69. Sed immerito, ut constabit ex infra dicendis.

3. **F**undamentum omnium est, quia peccatum idem est, siue antea fuerit clavibus subiectum, siue non, nec diversa malitia explicatur declarando non fuisse antea confessum: circumstantia enim temporis præcise sumpta non addit novam malitiam; ergo non est obligatio illam explicandi. Unde sumitur pro hac sententia efficax argumentum. Nemo tenetur in confessione explicare circumstantias, quæ speciem peccati non mutant, ut postea dicemus, sed peccatum fuisse commissum post ultimam confessionem, non est circumstantia, quæ mutet speciem (supponimus enim pœnitentem non variasse statum, sed explicare omnem malitiam, quam peccatum habet) ergo nemo tenetur explicare illam circumstantiam. Imò licet esset obligatio manifestandi circumstantiam aggravantem notabiliter intra eandem speciem. * Nemo, inquit Lugo, tenetur illam explicare. * Quia hæc circumstantia non se habet ex parte peccati, sed ex parte pœnitentis, ac proinde eius malitiam non aggravat, & consequenter,

Part. II.

ex tacita, explicatur peccatum secundum omnes circumstantias aggravantes. Cui consentit Verricelli ubi supra num. 20. citato.

4. **Q**uod autem pœnitens ex modo confitendi videatur implicite indicare peccata illa fuisse jam iterum clavibus subiecta, & iudicata, parum refert (ait Lugo) nam pœnitens verè habet animum loquendi de peccatis novis, & de illis loquitur, licet desideret, quod confessarius intelligat esse peccata antiqua jam iterum absoluta: intentio autem absolviendi non regulatur estimatione privata confessarii; ipse enim absolvere intendit à peccatis, quæ pœnitens detulit ad iudicium, quæcumque illa sint. Confirmat Lugo hoc exemplo: Si quis afferret infantem baptizandum, dicens esse filium suum, cum talis non sit, sed supponat unum pro alio, adhuc infans esset baptizatus, quia a Minister intendit baptizare, non eum, quem putat esse, sed eum, quem præsentem habet, quicunque ille sit, ergo à simili in nostro casu.

5. **I**mò non solum non obstat confessioni, quod confessarius iudicet peccata illa fuisse jam in alia confessione iudicata, sed idem tenendum videtur, licet pœnitens per mendacium ita expresse affirmaret. Ut suadet exemplum adductum pueri baptizandi; quia illud mendacium est circumstantia valde extrinseca, & non facit, quod pœnitens non explicet in confessione idemmet peccatum, quod fecit: nec quod ab illo non absolvat, licet confessarius decipiat, existimans non esse distinctum ab alio in præcedenti confessione exposito. In hanc sententiam manifestè inclinat Cardin. de Lugo ubi supra num. 52. quamvis asserat non posse dici peccatum esse commissum anno præterito, in opinione constitutæ durationem actus indistinctam ab ipso actu temporis determinato affixo, quam ipse tenet contra communem Philosophorum; verum poterit dici in opposita, & communi, ut aperte colligitur ex dictis. Igitur ex eo quod per mendacium dicat pœnitens peccatum in hoc anno commissum, fuisse commissum in præterito, non desinit confiteri idem peccatum, quod fecit. Præterquam quod etiam in opinione Cardin. de Lugo poterit dicere esse peccatum vitæ præteritæ, nullum determinando tempus, quantumvis confessarius decipiat, existimans fuisse jam in alia confessione absolutum: quia hoc non opponitur cum doctrina, quam circa durationes actuum tenet ipse Lugo.

6. **I**mò fortè etiam à confessario interrogatus posset pœnitens, sine mendacio (cum restrictione aliqua mentali) dicere, peccatum illud fuisse jam in alia confessione subiectum clavibus, id est, virtualiter, in ordine ad notitiam, quam de hoc peccato illi præbere debet: juxta doctrinam Joannis Sanchez in Selectis, diff. 9. per totam, ubi ait, habentem consuetudinem peccandi, posse interrogatum à confessario respondere æquivocone, se non habere talem consuetudinem; nam posito, inquit, vero proposito emendationis, habet pœnitens ius ad absolutionem; ut autem confessarius suo officio fungatur rectè, nihil conducit scire, habeat ne pœnitens consuetudinem, vel non habeat: ergo eodem modo in nostro casu posset aliquis dicere, pœnitentem interrogatum à confessario posse cum æquivocone respondere, jam fuisse peccatum illud clavibus subiectum, & absolutum, nam ut confessarius suo munere fungatur, nil conducit scire, an peccatum fuerit post ultimam confessionem commissum, an non: Cum pœnitens sit alias rectè dispositus,

X 3

ut

ut supponimus, & omnem specificam peccati malitiam in confessione manifestet.

7. Denique potest suaderi hæc sententia, quia si propter aliquam rationem teneretur pœnitens manifestare, peccatum non fuisse antea confessum, seu non indicare, jam esse absolutum, cum verè non sit; maxime ut confessarius posset imponere pœnitentiam, magis vel minus gravem, pro majori, vel minori gravitate peccati: quando enim sibi suadet fuisse jam in alia confessione judicatum, parum de pœnitentia curat, cum supponat, à se, vel ab alio confessario fuisse jam in alia confessione sufficientem adhibitam. Hæc tamen ratio, quæ urgentior videtur, parum habet ponderis, tum quia plures Doctores post Trident. docent, non esse obligationem accipiendi pœnitentiam, inter quos Navarr. & alii, quorum sententiam putant probabilem Sotus, Joann. de la Cruz, Villalobos, Faber, Vega, & alii, & non improbat Diana 2. p. tract. 1. Misericord. resol. 52. & 5. p. tract. 4. resol. 51. Tum quia pœnitens, licet de obligatione accipiet pœnitentiam (ut ego certum existimo) poterit ipse levem à confessario injunctam in aliam evidenter meliorem commutare, juxta sententiam, quam cum Portel, & Villalobos tenet Diana 3. part. tract. 4. resol. 53.

8. Omitto pœnitentem non teneri ea omnia in confessione explicare, quæ si confessarius sciret, graviores pœnitentias imponeret, aliter teneretur declarare circumstantias notabiliter aggravantes, v.g. An peccatum nimio affectu fuerit commissum, an multo tempore continuatum, & alia hujusmodi, quæ verior, & communior sententia negat, ut videbimus infra. Ergo ex hoc cap. nihil contra hanc opinionem potest concludi, si ergo pœnitens confiteatur omnem malitiam peccati à se commissi, confessario habenti jurisdictionem, nec sit in proxima occasione peccandi, quam sub mortali vitare teneatur, deinde habeat verum dolorem, & propositum non peccandi, non videtur præcepto confessionis teneri ad ita manifestanda peccata, ut confessarius percipiat fuisse post ultimam confessionem commissum: Sed posse saltem verbis æquivocis indicare jam iterum clavibus subjecta, & judicata fuisse, licet verè non fuerint, & confessarius decipiatur.

§. II.

Contraria, & vera sententia.

9. Secunda sententia, quæ ut indubitata supponitur à Doctoribus, oppositum asserit. Quam adeo veram putat P. Luisius Turrianus in Opuscul. Theolog. censura 4. dub. 7. ut dicat oppositum non esse probabilem, nec tutam in praxi, sed potius perniciosam bonis moribus. Et licet hunc authorem excessisse in censura sine fundamento, dicat Lugo supra, & ego de illius censuris non esse multum curandum existimem; quia nimis in hoc munere solet esse, eius tamen sententiam veram existimo cum Castro Palao tom. 4. tr. 23. punct. 10. num. 7. & 8. ubi sic. * Graves Doctores affirmare videntur integritati confessionis non obesse, quod indices peccatum mortale quondam fuisse commissum, & jam ab eo esse absolutum, cum tamen nec longè ab ea confessione commissum fuerit, nec alia vice fuerit absolutum, &c. Cæterum prædictæ sententiæ acquiescere nunquam potui. * Neque ego potero: adeo enim ingentia absurda in morali Theologia ex ea evidenter in-

ferri video, ut illi adhærere non audeam, nec haustu ea devorare cogar. Optarem sane illius patronos consulere, quia rationes allatæ vehementer movent, & absurda asserenda vehementius terrent.

10. Primum absurdum, juxta illam opinionem est, non solum posse pœnitentem dicere confessorio, se velle confessionem generalem facere, & hoc prætextu inter alia peccata jam confessa, novæ quædam post ultimam confessionem commissa, immiscere, non distinguendo, fuerint necne in alia confessione judicata, quod expressè admittunt Doctores citati, & fundamentis allatis probant; sed ultra sequitur, posse pœnitentem lingulis habitudinis graviter peccantem in materia castitatis, vel grat. se accusare de venialibus, & imperfectis, & confessionem concludere dicendo: me etiam accuso de mendaciis, & juramenti vitæ præteritis, & præcipue de una, vel pluribus pollutionibus, seu fornicationibus, quas jam religiosus, vel conjugatus habui? Quis autem audebit dicere hanc confessionem sufficientem adimpleri præceptum confitendi lethalia, in quæ frequenter pœnitens misere laberetur. Quod autem ex fundamentis supra jactis hoc sequatur, videtur mihi luculentius clarius: recole quæso fundamenta, & applica: nimirum quia peccatum idem est, si expressè ceatur ita, ut confessarius percipiat esse de novo commissum, si venon, solum enim taceatur circumstantia temporis, quæ non tribuit novam malitiam, nec mutat speciem peccati: imò nec notabiliter aggravat, ut inquit Lugo. Quod autem pœnitens modo confitendi indicet implicitè, illud peccatum idem, quod in præcedenti confessione judicatum fuerat, nil refert, juxta advertitios, nam ipsa vult habet animum loquendi de peccato novo, & distincto ab alio, licet desideret, ut confessarius non intelligat. Deinde confessarius intendit absolute à peccatis ad judicium delatis, quæcumque illa sint. Ergo, &c. Si autem dicas illo confitendi modo non tantum implicitè, sed explicitè significare peccata illa jam esse in alia confessione judicata, nil interest, ut supra vidimus, quia mendacium non vult explicari integrè malitiam peccati, & idem in eis moris peccatum commissum. Ergo ex illa opinione manifestè sequitur per hanc confessionem sufficienter declarari peccatum, non teneri pœnitentem ulterius illud exponere.

11. Secundum absurdum est, reservationem peccatorum, qua utitur Ecclesia, ut medio rectè utili ad arcendos homines à peccatis; de qua loquitur Tridentinum sess. 14. capit. 7. Magnopere Christiani populi disciplinam pertinere: Et quod in regionibus unum ex præcipuis mediis habetur; omnino inutile, & frustraneum reddi; poterit enim haberi, qui in reservata lapsus fuerit, suo superiori, seu alteri habenti jurisdictionem confiteri, & se accusare de venialibus, & de minimis imperfectis, ut bonam de illo exultationem habeat, concedendo confessionem, verbis illis confiteatur: * de mendaciis, & juramenti vitæ præteritis me accuso, & præcipue de pollutione, seu fornicatione, quam jam religiosus habui. * Hoc manifestè sequi ex contraria opinione, & ex fundamentis pro illa adductis, est mihi evidens: sed quis audebit hanc sequelam ad praxim deducere!

12. Duplicem istam illationem ad minus improbabilem, & temerariam, & scandalosam sententiam perjudicavi, contra bonos mores, & contra præceptum remedium à Christo Domino inventum, & illud

institutum ad peccatores coercendos: si enim hæc ita essent, tota confessionis machina, & institutio in animarum medelam, funditus everteretur, & penitus evanesceret. Vultus enim, quod à medico sanū iudicatur, medicina non curat: rueret ergo fundamentum Tridentini sess. 14. cap. 5. ad definiendam confessionis integritatem. Si enim erubescat agrotus vultus medico detegere, quod ignorat medicina non curat. Quis autem non videat ignorari vultus à medico, qui neque illius quidem cicatricem permanere iudicat: ergo æquè irritat Sacramentum, palliare peccatum præsens, ac illud tacere.

13. Deinde quo modo hæc coherere possunt cum definitione Trident. eadem sess. 14. cap. 5. * Necessum est omnium mortalium veniam cum aperta, & veracunda confessione à Deo querere: nam quo modo erit aperta confessio, quæ ita est palliata, ut confessarius iudicet nil sibi virtute clavium remittendum proponi: & quomodo veracunda, in qua pœnitens implicite, vel explicitè protestatur, se non jam peccatorum veniam à Deo querere, sed novū gratiæ augmentum ad majorem vitæ spiritualis profectum? Insuper quomodo vera essent illa Concilii verba: * ipsa vero ejusdem confessionis difficultas, ac peccata detegendi veracundia gravis quidem videri possit, nil tor commodis levaretur. * Cum nulla difficultas, veracundia nulla, in ejusmodi confessione repetatur: Urgetur ex cap. consideret. de Pœnitent. dist. 5. quod est Augustini de vera & falsa pœnitentia. cap. 14. & de visitatione infirmorum. cap. 2. Ubi de peccatis loquens: sic ait. * Hæc omnia si accedant, vel dicta callide pallientur, animam jugulant. Quæ autem magis palliatè dici possunt, quàm quæ ita iudicium confessoris pervertunt, ut iustum existimet peccatorem, & non jam culpam doleat, sed valde timoratum veneretur.

14. Insuper quis neget, quod magis innotesceret confessario status pœnitentis, si tanquam de re nunquam iudicata se accusaret, dicens: sapius peccavi in materia castitatis: quam si de venialibus se accusans imperfectionibus, adderet in fine, se etiam accusare de rebus fornicationibus vitæ præteritæ, jam iterum clavibus subiectis: cum tamen de novo, & quotidie in ea peccata miserè laboretur, & confessarius decipitur iudicans peccata illa, quæ hodie confiteatur esse eadem, à quibus heri, & nudius tertius illam absolverat. Quis inquam inficiabitur? Sed modus ille primus confitendi est damnatus à Concilio, eo quod per illam confessionem peccata illa iudicibus non satis innotescant: ergo & secundus confitendi modus damnatus etiam censendus est, cum directè opponatur motivo definitionis integritatis confessionis.

15. Urgetur ex eodem Concilio ibidem. Ubi eam notitiam peccatorum confessario tribuendam, inquit, quæ sufficiat, * ut æquitatem in pœnis injungendis servare possit. * Sed si peccatum novum possit, ut antiquum, & ut jam clavibus iterum subiectum confiteri, non tribuetur confessario prædicta notitia, cum nullus possit prudenter, peccatis jam remissis, & iudicatis, eandem pœnitentiam injungere, ac si remissa, & nunquam ad iudicium delata fuissent: ergo non est sufficiens ea peccatorum notitia, quæ confessarius sibi suadet, fuisse jam in alia confessione iudicata, cum verè non fuerint. Accedit Trident. sess. 14. cap. 2. definire, Christum Dominum eos, qui post Baptismum crimine aliquo se contaminaverint, ante hoc tribunal tanquam reos sibi voluisse, ut per Sacerdotis sententiam à peccatis liberentur, * Sed qui explicat in confessione peccata,

ut jam in alia remissa, non se sinit, nec præsentat tanquam reum, ut à peccatis liberetur: ergo non adimplet præceptum Divinum confessionis. Ergo ita debet pœnitens confiteri, ut confessarius non decipiat, existimans peccatum illud fuisse jam in alia confessione remissum.

16. Denique efficaciter, illationis absurditas convincitur. Primum, nam si pœnitens plura peccata in eadem confessione ad eundem iudicem deferens, ita palliatè explicaret, ut confessarius non plura, sed unum tantum peccatum sibi proponi iudicandum perciperet, non esset confessio integra, ut omnes faterentur. Ergo quando plura peccata in diversis confessionibus ad eundem iudicem deferuntur, ita tamen palliata, ut iudex non plura, sed idemmet peccatum ad iudicium hoc deferri existimet, & supra idem delictum sententiam pronuntiari, non erunt confessiones integritæ: nam planè constat, peccata illa, ut plurajudici non innotescere, nec in hoc tribunali fuisse, ut plura iudicata. Secundò, quia hoc Sacramentum, ut definit Tridentinum, supra, est institutum per modum iudicii, in quo pœnitens est reus, accusator, & testis. Sacerdos verò iudex: sed in iudicio fori externi nulla esset sententia absolutoria, si præcedente accusatione delicti, reus falsis testibus probaret tale delictum fuisse jam in alio tribunali æqualis jurisdictionis iudicatum, & pœna sufficienter imposita, per sententiam latam, ab illo fuisse absolutum. Ergo, & in hoc iudicio pro foro interno conscientia à Christo Domino instituta, nulla erit sententia absolutoria, interveniente eadem fraude.

17. Ex dictis mihi suadeo prædicta absurda à nullo Theologo concedi posse. Quomodo autem vitanda: juxta principia primæ sententiæ ejus patroni videbunt, qui sequelam ingeniosè negabunt, & ita repetitio negasse Leand. ubi sup. Nam licet disp. 5. q. 23. asserat cum Lugo, Bonac. Homobon. & Dian. eum qui facit confessionem generalem, non teneri explicare quæ peccata fuerint post ultimam confessionem commissæ: neque obitare, quod pœnitens peccata recens commissæ, implicite videatur indicare esse peccata antiqua, & iterum confessione subiecta, nec quod confessarius decipiat, ita iudicans. Quamvis, inquam hæc ibi doceat, nihilominus quasi. 24. inquirens, an liceat pœnitenti expressè confiteri peccata nova, ut antiqua? Respondet, quod licet Cardinal. de Lugo videatur indicare sustineri posse partem affirmativam, sibi tamen certissimum esse, non licere: * & credo, inquit, esse communem omnium Theologorum. * An consequenter? Alii viderint, quia ratio, quæ movetur ad hoc negandum, est ea, quam ex Card. Lugo adduximus supra, quæ parvi ponderis est.

18. Propter hæc existimo, præceptum manifestandi peccata confessario, ut iudici, tum ex Sacramenti institutione, & traditione Ecclesiæ, tum ex Tridentin. obligare ad ea ita exprimenda, ut si verè non fuerint in alia confessione iudicata, id confessarius percipiat, aut saltem non proponantur, ut antea clavibus subiecta, cum primum ad iudicium deferuntur: quia aliter variaretur iudicium in modo substantiali ipsius. Si verò semel iudicata fuerint, non erit necessarium id exprimere, si iterum confessioni subiiciantur. Nam ex eo, nullum sequitur absurdum contra bonos mores, nec contra finem, & integritatem hujus Sacramenti. Quod si quis ita idem mortale singulis confessionibus subiiceret, ut confessarius intelligeret semper esse peccatum distinctum

Actum de novo commissum, fortè aliquis sentiret esse illicitum, eò quod graviter se infamaret apud confessarium habentem illum pravis moribus imbutum, & conscientia distractum.

10. Ex dictis fit malè adduci pro contraria opinione Pat. Suarez, & Coninch, locis suprà citatis, quia ipsi tantum asserunt, illum qui se accusat de confesso, non teneri explicare jam iterum confessum fuisse, quod nos libenter fateamur; nam aliud est confiteri peccatum antiquum jam remissum quasi novum, aliud confiteri peccatum novum, quasi antiquum, & jam remissum, in hoc enim deficit pœnitens integritati, secus in illo. Insuper malè adducitur Pat. Thom. Sanchez ubi suprà, quia ipse tantum asserit, eum qui dubitat fuerit ne confessus peccatum aliquod, satisfacere, explicando totam malitiam illius peccati, quin explicet tempus quo commisit, nimirum an post ultimam confessionem, vel ante illam, & approbat opinionem P. Suarez, ut suprà relatum. Ex hoc autem principio non bene deducitur, pœnitentem non teneri saltem implicite in confessione indicare peccatum illud non fuisse in alia confessione directe absolutum: potius id semper implicite dicit, & ita confessarius intelligit, dum verba accusationis aliud non indicent, prout contingit in illationibus suprà deductis. Licet autem pœnitens non teneatur dicere, se in alia confessione subiecisse peccatum, quod modo confitetur, teneatur tamen peccatum novum non ita palliare, ut confessarius decipiatur, existimans fuisse olim clavibus subiectum, & absolutum.

§. III.

Argumentis negantis sententia fit satis.

20. **A**rgumenta contrariæ sententiæ unico verbo dissolvo. Respondeo ergo, confessionem debere esse integram quoad substantiā, & quoad modum, quia ad utrumlibet, confessionis præceptum obligat, ut ex traditione Ecclesiæ, ex Tridentino, & ex motivo ad integritatem definiendam constat. Integritas quoad substantiam in eo stat, quod omnia peccata quoad speciem, & numerum clavibus subiciantur: integritas autem quoad modum exigit, quod ita hæc subiecto fiat, ut confessarius, qui primus sententiam tulit, agnoscat pœnitentem ante hoc tribunal tanquam reum sisti, ut beneficio absolutionis veniam peccatorum consequatur, & quod pœnitentis status ista confessario innotescat, ut pœnam, quam oportet, pro peccatis possit imponere, ut definit Concilium: ad quod requiritur, quod non decipiatur iudex in modo substantialiter variante iudicium. Argumenta autem contrariæ sententiæ solum probant confessionem illam fore integram quoad substantiam; quod non inficior. Hoc verò non sufficit, quia deficit integritas quoad modum, quæ etiam requiritur ad satisfaciendum præcepto confessionis: aliàs daretur deceptio gravis in modo, & ordine istius iudicii, sicut in iudicio humano contingeret, si reus fateretur delictum, falsis tamen testibus probaret, fuisse jam ab alio iudice ejusdem potestatis iudicatum, & pœna debita punitum.

21. Fateor nihilominus casum illum à præfatis

Doctoribus admissum de eo, quoniam confessionem generali, omnia sua peccata pœnitentem confiteri non explicans, fuerint necne aliqui post ultimam confessionem commissi, longè minus distantes habere, quam illationes ex principis suprà iudicium me factas: quem propterea admittit Tamburinus *Method. lib. 2. cap. 1. §. 1.* cum Henriquez, & alii, quos sequuntur Diesillus *tom. de Pœnitent. diffinit. 9. dist. §. 6. à num. 144. & dub. 7. num. 294.* & Cardinal. de Lugo suprà: quia pœnitens in ea confessione generaliter, non magis indicat in alia fuisse remissa peccata, quæ verè de novo confitetur, quam de novo esse commissi, quæ verè in alia confessione subiecerat; ac proinde confessarius, ex qualitate peccatorum, & pœnitentis statu, satis percipere posse videtur, plures illis fuisse jam absoluti, alia verò de novo subiecta. Cæterum quia confessarius non percipit, quæ, si quot hæc fuerint, adhuc existimo non satis agnoscere integritati, quin ea declarentur. Et ita tradit Fr. Ludovicus à Conceptione *tom. 1. exam. verit. tract. de Pœnitent. fol. 440. num. 19. & 21. in 2. casu resolutione.* Ubi ait contrariam sententiam * A principio intrinseco esse improbabilem. *

22. Undè fit omnino rejiciendum Martini de San Joseph in Monit. confessor. *tom. 2. lib. 1. tract. de Pœnitent. num. 11.* Ubi latissimam sententiam tenet ibi enim, sicut: * Uno cometo un peccado general y para ocular al confessor, que era de la confesion presente, confesòse generalmente, y entre los pecados de la vida passada confesò el ultimo. Ex hoc probable, que pudo hazerlo así, por que nadie está obligado à decir, que los pecados que confesò son cometidos despues de la ultima confesion, sino que interuenga alguna particular circunstancia, que no se dea entender, sino es diciendo, que el peccado es reciente. Sic Bonacina de Sacrament. *diffinit. 9. quest. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. difficult. 4. num. 5.* que citat Sanchez, y à Coninch, y los cita, y sigue Doria *3. part. tract. 4. resolut. 62.* Yo mismo me parece se entiende, aunque los pecados que parece se en cometen, se confiesen en otra qualquiera confesion particular, como se digan contodas sus circunstancias: porque milita la misma razon, & de similibus, hinc inde iudicium, * sic illic. Quem alii recentiores, quoad ultimam etiam partem conclusionis sequuntur, quibus favet Delgado *tom. de Pœnitent. cap. 11. de tenet expressè Marcus Vidal in Aurea solari, tractat. de Sacrament. Pœnitent. inquisit. 7. num. 24.* Quorum doctrinam se appobare non valere, ut Tamburinus in *Method. lib. 2. cap. 1. §. 1. num. 14.*

& ego ab scholis relegari vellem: & spero, quia nulla opinio pernicioior.
